

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO PNEVMATICA,  
DE  
**NOTITIA DEI**  
**NATURALI,**  
*Quam*  
**In inclytâ ad Albim Academiâ,**  
**Annuente Divini Numinis gratiâ,**  
**SUB PRÆSIDIO**  
**M. ADAMI ERDMANNI MIRI,**  
**Adorfiâ-Varisci, Ser. ac Potent. Ele&t.**  
**Alumni,**

Publicè vendilandam ac defendendam  
fuscepit  
**GODOFRÆDUS BERGNERUS,**  
**Langenbergæ-Variscus,**  
S.S.Theol & Phil.Stud.  
Ad d. 25. Sept. ANNO O. R. c<sup>lo</sup> b<sup>c</sup> LXXX.  
*In Auditorio Philosophorum.*

WITTENBERGÆ,  
Literis JOHANNIS WILCKII.

87

a. LXXVIII. A.

diss. A

41

СИЛЯ  
АЭТИА МУДРЫХ ОТКУДА ЗЕМЛЯ  
БОГИ  
**ПЕДАГИГОВ**  
ЛЯДИТАЙ

ЗЕМЛЯ ВЪДѢВЪ А БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ

БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ А БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ

СИЛЯ ЯЗВУ

ЛЯДИ ТАМА МОНЕ НЛАСАМ

БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ А БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ

ЛЯДИ ТАМА



СИЛЯ РЕГИНОВЪ

БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ

БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ

БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ А БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ


БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ А БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ

БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ А БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ

БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ

БЫЛЪ АБЫЧИНОВЪ

— 78 —



Auxiliante Deo!

QVÆSTIO:

An ex solo lumine naturæ, citra revelationem  
è Scriptura, constare posse, esse Deum?

§. I.

**H**abemus esse humani ingenii indolem, ut ista sæpius,  
qvæ suâ (ceu ajunt) luce radiant, impugnet aut  
in dubium vocet, ex experienciâ, optimâ istâ re-  
rum omnium magistrâ, satis sufficienterq; con-  
stat. Qvamvis enim tot & tam clara , si lumen  
naturæ intuemur, documenta de Deo habemus,  
ut nulla amplius, ne minima qvidem , de eo su-  
peresse possit dubitandi occasio ; non tamen desunt, qvi cognitio-  
nen hanc fraudulentis imposturis suis ac mendaciis involvere, &  
ceu commentum putidum ridere haud erubescunt. Et qvemad-  
modum jam olim multi, iiq; clarissimi viri temeritatem hanc sub-  
secuti sunt. (qvem enim latent Protagoræ, Diagoræ, Theodori Cy-  
renaici, Selii, Diogenis, celebrium qvondam apud gentiles Atheo-  
rum nomina ? ) ita nec hodie desunt, qvi per creationem accensam  
hanc in cordibus hominum lucem delere anxiè laborant. Sanè  
hæc de Deo notitia minus rectè à Scholasticis aliisq;, superioribus  
jam seculis explicata fuit. Etsi enim illi rectè adstruerent, notitiam  
Dei aliquo modo à posteriori è contemplatione scil: creaturarum  
demonstrari posse ; in eo tamen errarunt gravissimè, qvod propo-  
sitionem hanc : Deus est, per se notam nobis esse impudenter nega-  
rent. Et hanc sententiam cum Thoma Aquinate, præter Scotum,  
Scholastici pleriq; omnes, Durandus dist. 3. qv. 3. Gregorius de Val-  
lent. qvæst. 2. punct. 1. Capræolus Dist. 2. qv. 2. art. 2. Suarezius Met:  
dist. T. 2. dist. 29. Sect. 3. aliiq; amplexi sunt. Imo plurimi, utpote

A 2

Alia-

Aliacensis, Adamus, Gabriel, Major, Cisterciensis, Andreas de Novo Castro, & Caspar Cassalius existentiam Dei nullo modo, ne quidem à posteriori, demonstrari posse affirmarunt. *Conf: Smisungum T. 1. disp. Theol. tract. 1. Disp. 1. qv. 4, n. 57.* Ne vero Thomas cum assertis suis temerè quid statuisse videatur, collectis certis quibusdam rationibus, sententiam suam afferere conatur, adeoq; propositio nem illam, non esse per se notam quoad nos, exinde probat, quod propositio per se nota quoad nos nec demonstratione opus habeat, nec negari à quoq; possit; hanc vero propositionem, qua affirmatur, Deum esse, ex alia notiori esse demonstrandam, cum omnis cognitio nostra, primum à sensu & experientia auspicetur, nec juxta πολυθρεύλην illud, quicquid sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Addunt præterea, hanc notitiam, etiam præsuppositâ terminorum cognitione à multis esse negatam. Sic enim *Socrates*, teste *Laertio* 2. in *Soc.* p. 114. Deum esse negavit. *Anaxagoras*, ut de eo tradit *Diod. Siculus* l. 3. c. 6. ἀθεος appellatus est, cumq; ob intentam sibi impietatis actionem ex Attica metu populi profugisset, præconis voce Athenienses talentū argenti præmii loco ei obtulerunt, qui eum occidisset. Imo *Plinium*, alias eruditissimum scriptorem, in hunc errorē esse raptum, haud obscurè ex l. 1. *Hist. nat.* c. 7. patet.

## §. II.

Horum vestigiis insistunt non solum *Arminiani*, sed & *Sociniani*, qui perversâ quadam impietate ac nequitia fascinati, cognitionem hanc, prævio naturæ lumine, videre nolunt, sed meritis tenebris oberrare malunt. De Socinianis quidem res nota satis est ex scriptis Theologorum, quod nullam de Deo cognitionem naturalem admittant. Ita enim *Socinus in Prælectione Theol. II. p. 4.* Sunt, qui dicunt, id saltem negari non posse, ex sola hujus mundi machinâ, si quis animum advertat, posse quemlibet non solum Deum agnoscere, verum etiam rebus humanis eum prospicere. Sententia ista falsitatis convincitur. Et in *Miscell. respons. ad Object. Cutten* 5. p. 68. Homo ipse per se nec seipsum, nec Deum, ejusq; voluntatem cognoscere potest, sed necesse est, ut hæc illi Deus aliqua ratione patefaciat. Quo cum facit discipulus ejus *Ostroodus Inst. Rel. Christ. c. 1. p. 10.* wir wollen von dem auch etwas sagen, ob es auch war  
sey/

sey / daß der Mensch von Natur so weise gewesen / und noch jetzt sey / daß er aus der blossen Betrachtung der Schöpfung / Gott und seinen Willen / ohne sonderliche Götliche Offenbahrung habe erkennen können? wir halten es darfür / daß es falsch sey: Et paulò post: Daz die Menschen von Gott / oder von der Gottheit etwas wissen / das haben sie nicht von Natur / noch aus Betrachtung des Schöpfers / sondern von hören sagen: Sintemal sich Gott von Anfang den Menschen offenbaret hat. *Conf. Magnif. atq; Summè Rev. Dn. D. CALOVII in Socin. proflig. p. 105. & in Theol: Nat: & Revel: c. II. §. 59. 60. & 61.* Nec minus etiam de Arminianis constat , qvod nihil roboris illis relinquant argumentis , qvæ ex lumine naturæ , pro existentiâ Divini Numinis demonstrandâ , à Theologis pariter atq; Philosophis adducta , & Atheorum temeritati opposita sunt.

### §. III.

His ita præsuppositis rem ipsam aggredimur. Succinctioris autem methodi gratia disputationem in *tria* dividemus membra , quorum *primum παρασκευήν* seu statum controversiæ exhibebit : *secundum κατασκευήν* seu thesin ejusq; probationem subiicit ; *tertium* deniq; *ἀνασκευήν* seu refutationem Adversariorum continebit.

### §. IV.

Qvod attinet ad *primum* membrum , observamus (1) quæstionem hic moveri non de notitiâ Dei revelatâ , utpote quæ nobis ostendit SS. Trinitatis mysterium. Talis enim cognitio haud quæquam ex lumine naturæ demonstrari potest , & ad forum Theologicum pertinet ; sed de notitiâ naturali , quæ revelatæ opponitur , & ab aliis revelatio generalis dici constrevit. Cumq; vox naturalis variis adhuc significationibus obnoxia sit , (2) non eam hic intelligimus , quæ ante lapsum fuit , quamq; homo semper retinuisse , si in concreto integratatis statu permansisset , sed istam , quæ homini post lapsum superstes mansit. Deinde (3) notitia hæc duplex est ; alia *ἐμφύλιος* seu innata ; alia *ἐπίκτητος* seu acquisita. Illam *Magnif. Dn. D. Meissnerus Theol: nat: disp: I. §. 22.* describit , qvod non per

A 3

discursum,

discursum, aut magno labore à nobis acquiratur, sed ipsi naturæ ac  
mentibus nostris in ipso ortu impressa sit, etiam tunc cum ratio se-  
se nondum exercere potest. Hæc verò juxta Gabr : dist. 14. q. un.  
art 11. est , cum potentia cognitiva ex accuratâ rerum creatarum  
contemplatione, vi discursus naturalis cognoscit, tunc Deum esse,  
tunc etiam alia, quæ ductu naturæ vel de Deo, vel aliis rebus natu-  
raliter investigari possunt. Observandum (4) cognitionem, quam  
in his terris habemus, esse vel confusam & imperfectam, vel distin-  
ctam et perfectam. Distincta, ut Thomas eam i. p. q. 85. art. 3. de-  
finit, est, per quam distinctè & determinatè res cognoscuntur ; Con-  
fusa & imperfecta verò, per quam sciuntur res indistinctè sub qua-  
dam confusionē. Nos fatemur ultro ac perlibenter, omnem no-  
stram cognitionem, quam de Deo per naturam habemus, imperfe-  
ctam esse, & vix umbram aliquam Divini Numinis continere Vid.  
**B. Chemnit:** Loc : Theol. part 1. Cap. 1. de Deo. qu. 2. B Scharfi Pneu-  
mat. Lib. 2. c. 1. p. 45. 46. Præterea (5) præsupponendum , nobis  
non quæstionem esse de notitiâ Dei actuali, quam quidam clarissi-  
morum Virorum inscriptam actu mentibus nostris asserunt , qui  
quidem non uno eodemq; modo sese explicant, sed de habituali,  
quæ scilicet statim in ipso nativitatis principio nobis inest , & cum  
ipsâ naturâ incipit. Nec (6) silentio involvendam censemus eam  
distinctionem, quæ est inter ignoratiam simplicem sive puræ ne-  
gationis, & affectatam sive pravæ dispositionis. Illam in neminem  
mortalium cadere asserimus; Affectatam interim in perversis mul-  
torum animis residere, ne quidem in dubium vocamus. Apparet  
igitur (7) distinctissima esse. Si ergo negare, divinum Numen existere,  
& περί θεού. Per multi dantur, qui sceleribus suis, nefandisq; facino-  
ribus, si modo possent, notitiam hanc de Deo ex cordibus suis ex-  
tirparent, ut stimuli antegressorum scelerum vires roburq; consci-  
entiam sauciandi amitterent Optimè enim Klotz. Theol : nat : dissp.  
3. c. 1. f. 9. Ignorant Deum non purâ negatione, sed pravâ dispositio-  
ne. Sie leben/ als wenn fein Gott in Himmel wär/  
Es si penes ipsum staret, Deum mallent, non esse, ne judex , aut  
vindex quispiam malorum operum supereriset.

§. V.

Statu controversiæ ita formato, utramq; Dei cognitionem,  
tam innatam, quam acquisitam demonstrabimus. Et innatam qui-  
dem

dem duobus argumentorum generibus, ex lumine naturæ petitis,  
Quamvis enim ex ipsis sacris literis firmissima atq; longè eminen-  
tioris & nobilioris probationis fundamenta huic nostræ confir-  
mationi peti possent, ea tamen, argumenta lubet adducere, qvæ  
ex lumine naturæ deponuntur, & bonam partem à Philosophis  
tradita sunt. Theologicam sanctitatem Theologorum scholis re-  
lingentes. Interim tamen videri possunt Magnif: Dn. D. Calov.  
& B. Klotz loc. cit.

### §. VI.

Probamus itaq; eam (1) *ex legis divinæ in mentibus hominum inscriptione*. Hinc tale formamus ratiocinium: *Q. legem Dei in animo inscriptam habent, in illis datur notitia Dei, cœl legis autoris.* Atqui iu omnium hominum mentibus naturaliter lex Dei inscripta est. Ergo. Majoris ratio manifesta est, qvia lex & leges lator se multo ponunt, & absentia unius absentia quoq; alterius est, sicut hæc relatorum indoles est ac natura. Nec minor indiget prolixâ demonstratione. Adsunt enim in homine *κοναι ἐργοια* seu principia ista, qvæ non industriâ nobis nos comparamus, sed naturæ nostræ implantata scimus, qualia sunt: *Deus est colendus: Parentes sunt honorandi: Nemo laudendus: suum cuiq; tribuendum est &c.* Hæc principia à nullo alio, qvam à lege divinâ cordibus nostris inscriptâ profiscuntur, qvia per se sunt notissima, & præter ullam institutionem, ullumq; labore homini in sunt. Accedit, qvod non sint contingentia & mutabilia, sicut humanæ leges, qvæ pendent ab Imperatoria majestate, qvam penes est dare & abrogare leges: *Conf: B. Wendelerum in Phil: Pract: p. 146.*

### §. VII.

Argumentum(2) ad obtainendam asserti nostri veritatem de-  
sumim⁹ ab interno *Conscientiae testimonio, ejusq; terroribus, quos sce-  
lerati in conscientia sentiunt.* Conscientia enim ultro dictat, esse  
aliquid, qvi & sua virtutibus præmia tribuat, & malè commissa  
puniat, summū Dictatorē, qvi proinde *Homero πάντα ιδῶν, καὶ πάντα  
ιπακάσιν, & Hesiodo Deus, qvi αὐθεώποισιν ἔδωκε δίκην, ή πολλοὺς  
αἴριση γίνεται*, celebratur. Unde dicimus: Terrores isti conscientiaz  
vel ab ipso homine sunt, qva est homo, vel ab aliis hominibus, vel  
à diabolo, vel denuoq; à Deo. Non vero ab homine ipso, qvia poti-  
us

us vitia sua excusat, non exaggerat, nec seipsum terret. Nec ab aliis hominibus, qvia scelera saepius patrantur aut nullo homine conscientia, aut a tali, qvi hominum imperio non subest, quemadmodum ex Neronis, Dionysii Tyranni, Caligulae & aliorum exemplis constat. Nec a Diabolo, qvia ille non imperium in conscientias tenet, aut, si haberet, securitatem potius, quam terrores ingenieraret. Restat igitur, terrores istos proficiisci a solo Deo, justo scelerum vindice, qvatenus eum naturali dictamine tacito quodam sensu cognoscimus & timemus. Nec minus verè, quam graviter B. Sperlingius dicit: *Conscientia illis (np. sceleratis) diem dicit; hæc ad Dei subsellia eos pertrahit. Ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa damnat. Eadem accusator est, eadem testis est, eadem judex est, eadem tortor est, eadem carcer est, eadem carnifex est. Semper in horum animis extant gravissimæ sententiae: Deus videt; Deus ultor est.*

### §. VIII.

Quemadmodum vero insitam Dei notitiam hujusq; probavimus; ita ad acquisitam jam progredimur, eandem certis rationibus roboraturi. Putamus vero illam constare(1) ex mundi hujus omniumq;, qvæ in illo sunt, productione atq; origine, ita primum inferentes: *Quicquid factum est, ab alio factum est. Sed totus mundus &c. Ergo. Majoris fundamentum est, qvia idem non potest esse causa sui ipius, sic enim simul esset, & non esset. Esset; qvia causa producens esset: non esset; qvia deum producendum esset. Impossibile autem est, juxta Philosophum. l. y. Metaph. c. 3. idem simul esse & non esse. Minor vero hoc modo probatur: Res in mundo hoc aspectabili existentes vel materiales sunt ac corporeæ, vel immateriales & incorporeæ; & ex illis quidem quædam corruptibles ac periturae: quædam incorruptibles ac permanentes. Jam quod res corruptibiles attinet, eas ad unam aliquando creatas esse, internaistarum compositio satis arguit. Adde, quod eo ipso, dum corruptibles sunt, initium & finem agnoscant. Incorruptibles vero creatas esse, non solum materialis earum natura ostendit, qvæ juxta Svarez. d. 20. Met. f. 2. a seipsa propter summam imperfectionem esse non potest; sed etiam, quod indifferentes sint ad essendum & non essendum. Et idem esto judicium de rebus immaterialibus ac incorporeis. De animabus enim vix aliquid dubii*

super

superesse potest, qvin eas productas putemus: qvoniam actu illas, tanquam formas in generatione hominis, ceu totius, oriri deprehendimus. Quemadmodum enim corpus per generationem producitur: sic qvoq; anima vi benedictionis divinæ per traducem propagatur. Intelligentias vero qvod concernit, & eas esse productas, ex eo collendum arbitror, qvia illarum sunt plures: plura vero improducta præter unum repugnat juxta Axioma Philosophicum. Accedit, qvod si intelligentiæ essent improductæ, in iis tū daretur absoluta ad existendum necessitas, adeoq; tot illarum necessario existerent, qvot essent possibles: qvoniam, si absolutè necessariæ forent, nulla allegari ratiō posset, qvam obrem saltem qvædam earum, non vero & reliquæ, qvæ æqvè possibles, ac illæ, erant, existerent. Sed qvia, dato qvantocunq; numero, non repugnat, plures ac plures dari intelligentias, erunt intelligentiæ numero infinitæ possibles; & qvia tot existunt, qvot sunt possibles, etiam actu multitudine infinitæ existent, qvod tamen impossibile, Postquam itaq; evictum satis, res omnes, sive materiales sint, sive immateriales, ab alio esse productas, nunc porro ita colligimus: Illud à qvo omnia Entia producta sunt, vel à scipso est, vel ab alio. Si prius habemus, qvod volumus, esse scilicet Ens aliquod summum atq; nobilissimum, qvod & reliqua omnia superat, & à qvo, tanquam à primo authore, reliqua omnia pendent, qvodq; proinde, ut supremum Numen colendum est ac venerandum. Si vero posterius arripiatur, iterum pergitus qværere, à qvoniam illud Ens productum sit, donec sistamus necessario iu uno aliquo improducto. Reputnat enim in caussis hisce dari progressum in infinitum, quemadmodum appetet ex Arist. l. 2. Metaph. c. 5. Fonsec. l. 2. Met. c. 2. & aliis.

### §. IX.

Evincimus id (2) ex mundi totius aptissimâ connexione & ordine. Qvoniam enim hoc universum ex tam innumeris diversissimisq; rebus, ordine tam apto, tamq; mirabili harmoniâ contextum & coagmentatum est, ut sine summa admiratione illud aspicere non queamus, certè illud non potuit casu qvodam coivisse, sed oportet, habuisse cum aliquem sui autorem summâ sapientiâ,

B

præ-

.XXXI.

præditum, à qvo tam mirabiliter coäptatum sit. Quemadmodum enim casus confusionis potius, quam ordinis caussa existit; Ita impossibile est, ut id, qvod summam in se rationem ostendit, sine ratione incipere aut perfici potuerit. Unde Romanus ille *Sapiens* lib. 2. de Nat. Deorum ait: *Quid potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiag; contemplati sumus, quam aliquod esse numen præstantissime mentis, quo hec regantur?* Simile etiam legere possumus apud eundem in libro de Divinit: ubi ait: *Esse præstantem aliquam eternamq; naturam, & eam suspiciendam, adorandamq; hominum generi, pulchritudo cœli, ordoq; rerum cœlestium cogit confiteri.* Vid. Lud: de Prussia in i.p. Tril. animæ cap. 29. quest. 8.

§. X.

Desumimus (3) argumentū à regulari totiusmundi conservatione. Non enim posset universum hoc conservari, nisi daretur principiū aliquod sublimius, qvod res in isto contentas à casibus & interitu defenderet. Facilè enim fieri posset, ut vel hic terræ globus, qvē incolunt res animatæ, sive per vim aquarum, sive per ignis, aliarum vererum inter se pugnantium violentiam submergeretur, vel ad minimum qvædam rerum corruptibilium species, ex totiis injuriis atq; casibus, qvibus quotidiè obnoxiae sunt, penitus interirent. Qvia vero in dies conservantur & ordinantur, luculenter appetet, qvod supremi Numinis dominio omnes subjectæ sint.

§. XI.

Præterea id deducimus (4) ex miraculis in natura patratis. Ista enim miracula, qvæ contigisse aliquando non ignorant historiæ, ut supra naturam sunt posita; ita sanè principium aliquod superius, ac commune arguunt, à cuius imperio & nutu in agendo patiendoq; tota natura dependeat. Id qvoq; Klotz loc: cit: testatur, inquiens: *Hæc miranda excedunt naturam finitam, & indicant, esse aliquam caussam longè eminentiorem, à qua inferiores caussæ in suâ operatione pendeant, ita, ut illâ non concurrent, non operentur.*

§. XII.

§. XII. *o diuinis quodlibet auctoritate  
scimus.*

Provocamus deniq; (5) ad consensum omnium populorum, cum intra, tum extra ecclesiam constitutorum. *Πάντες γὰρ ἀνθρώποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόλεψιν, inquit Arist. l. 1. de cælo c. 22.* Nec ulla gens est tam immanis veta, tamq; fera, quæ non, etsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. *Cic. 1. de Leg. Est enim inter communes receptasq; notitiae, quas natura parens omnibus, quæ ubiq; orbis sunt, aut fuerunt, gentibus inserit Deum esse. Lips. Cent. 2. ad Belg ep. 26. Hinc Sophocles: εἰ μέγας θεὸς ἐν δομῇ, οὐ εἴθεργά πάντα κατατύει. Hinc Poëta quoq; dicit:*

**Mille viis monumenta Dei natura dat, ullo  
Non sensu artificum cultuve imitanda  
per orbem.**

**Quæ tibi juxta aurem, muto licet ore,  
susurrent.**

**O homo, nolce Deum, vel me ductore,  
parentem!**

Huc pertinent dicta Patrum, ut S. Hieronymi: Gentiles, inquietis, licet lapides & ligna venerentur, tamen intelligunt, aliquid majus esse, quam ipsi sunt, & in errore suo judicant, se habere sapientiam. Hoc est: nullgens est, quæ naturaliter non intelligat, esse Deum. Et Augustini soliloq. 31. dicendis: Non ego sum, sed per ipsum sum, quem quæreris in me, ipse fecit me, super me quære eum, qui regit me, qui fecit te: Interrogatio creaturarum profunda est cogitatio, earum responsio attestatio est ipsarum de Deo, quoniam omnia clamant: Deus nos fecit. Conf. Dn. D: Calov. loc. cit, & Additamenta Beyeri ad Seldeni de Diis Syr. Syntagma p. 31. 32. & 33.

§. XIII.

Verum enim vero, licet argumenta ista, quæ ex lumine naturæ hucusq; suppeditavimus, sole meridiano clariora sint;

non tamen desunt veritatis osores, qui, collectis qvibusdam runculis, tam ratam sententiam everttere audent. Qvare juvat brevibus adhuc obiectiones eorum sub rationis examen revocare, colophonem hoc ipso dissertationi nostrae imposituri.

#### §. XIV.

Objiciunt vero (1) Quicquid per alia demonstrandum est, sed nobis natura non potest esse notum. Sed prius affirmatur de notitia Dei naturali, Ergo posterius quoque verum erit. Rsp. (1) illud tantum per accidens fieri, si propositio per se nota nobis quandoque probatur. Neque existimandum, principia illa omnium prima, quando, dum cum pertinacibus nobis res est, aliunde & a posteriori cognoscuntur, ideo desinere prima & per se nota principia esse. Contrarium patet ex Philosopho l. i Met.: quando contra Heraclitem, principium illud: idem illud simul posse esse & non esse, in dubium vocantem, disputat. Sed quis inde concludere vellet, principium istud ideo non esse omnium primum? (2) Addimus, principia ista per sensum aut inductionem probari non ideo, quasi veritas istorum non per se constet, sed ut negantibus absurdissimus error, in quem prolapsi sunt, ostendatur.

#### §. XV.

Urgent (2) illud Aristotelis lib. 3. de anim: c. 4. th. 15, animam, & in ea intellectum esse instar tabulae rase, in qua nihil inscriptum sit actu, multa vero inscribi possint. Resp: nos id concedere de actuali notione, quantum ad speciem expressam, & ideam in mente conceptam, non vero de notione habituali, quae homini per notiōē Habitūs inest. A negatione vero specierum expressarum ad habitualis notiōē negationem per naturam implantatae N. V. C. Qvod vero Philosophus non de habituali notione hic loquitur, monumenta ejus plurimis in locis testantur. Agnoscit enim 5. Nicom: c. 9. σογγράς, quae Φύσει insunt, Agnoscit 6. Nicom. 13. αἴτην quandam Ψυσικὴν, affirmans, quodammodo singulos mores natura in esse; imo ipse νόμος Φυσικὸς jus naturale lib 4. Eudem. 1. 4. agnoscit, ut alia loca præteream. Recte itaque Themistius: Aristoteles nunquam tam in consideratus fuit, ut negarit, quodam principia humanae menti inesse

*inesse indira. Nisi enim in anima essent ejusdem notiones communes, non possemus nos mutuo intelligere, & nunquam discipulus aliquid disceret a preceptor.*

### §. XVI.

Pergunt (3) ulterius & dicunt: *Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu* juxta Philosophum lib. 1. Met. c. 1. & l. 2. de anima c. 8 th. 39. Sed responsio haberi potest ex praecedentibus, distingendo scilicet: (1) inter id, quod in intellectu est per modum actus naturaliter exercendi; & quod ipsi inest per modum Habitus. Regula ex Aristotele adducta, & alias notissima explicanda est de eo, quod prior modo in intellectu est non posteriori, quippe quævera est de Theologia acquisita tantum, non vero de insita. (2) Falsum est, omnem cognitionem primo per sensum inveniri in intellectum, siquidem intellectus noster & Deum, & angelos, & animam ipsam, itemque universalia & abstractissima cognoscit, quæ sub sensum tamen directe & per se non cadunt. Unde Subtilitatem magister recte contra Cardanum disputat Exerc: 207. sect 21. *Non omnis inquietus, species immittitur aut invehitur a sensibus, sed quædam connatur cum animalibus, ut mellificatio apibus, milvi species pullo.* Et B. Sperlingius in Synop: Anth. lib. 1. cap. 3. Can. 7. *Quædam sine sensuum ministerio: sed plurima per nuncios hos ac interpretes capimus. In currunt in sensus alia immediate, directe, ac per se; alia mediata, indirecete, & per aliud. Illa per proprias species sensum afficiunt, ut calor, sonus & alia. Hæc aut per effectum, ut Deus per visibilia hujus mundi; aut per simile, ut ovum unum per aliud; aut per oppositum, ut pax per bellum; aut per partes, ut mons aureus; aut per fundamentum, ut universalia per singularia.*

### §. XVII.

Referunt & illud: *Intellectum esse finitum. Deum vero Ens infinitum.* Hinc colligunt, Deum impropotionatum obiectum esse intellectus creati. Sed (1) Resp. Negando consequentiam majoris. Si enim infinitas causa esset, quod intellectus noster, qui finitus est, non possit naturaliter Divinum Numen cognoscere sequeretur, quod neque per lumen gratiae ab eo Deus cognosci posset. Per lumen enim gratiae neque intellectus supra statum elevatur, ut fiat infinitus, neque Deus intra statum.

statum suum detruditur, ut sit finitus. (2) distingvimus inter proportionem *συμμετρίας* & alicujus *ἀναλογίας*. Hanc, non istam hujus loci esse, nemo non facile videt.

### §. XVIII.

Dicit [5] Socinus Prælect. 2. p. 3. *Deum esse, est articulus fidei*, Ergo non naturaliter notus est, sed revelatione opus est. Consequentiam probat, quia fides innititur revelationi divinæ, tanquam Obiecto. Qvod igitur fide creditur, ex revelatione cognoscitur, adeoq; non naturaliter scitur. Et sicut fides non est ipsa scientia, ita&c, qvæ naturaliter sciuntur, non creduntur, & contra. Resp. fieri qvandoq; posse, ut unum idemq; obiectum sit simul scientiæ & fidei. Scientiæ, qvatenus per evidenter demonstrationem cognoscitur; fidei vero, qvatenus propter revelationem divinam creditur.

### §. XIX.

Firmissimum (6) tandem argumentum hoc putant esse: *Si notitia Dei esset naturalis, utiq; apud omnes homines reperiatur*. Consequens probant, quia, qvæ naturalia sunt, necessaria quoq; sunt. Non vero reperiri ejusmodi notitiam apud omnes, exemplo Indorum in *Calicuta* probant, qui nunquam de Deo cogitarunt, aut cogitare potuerunt, quia de Deo nihil, ne per famam qvidem acceperunt. Sed respondemus ad majorem, consequentiam ejus negando. Cum cautione ille canon: *naturalia esse necessaria, intelligendus est*. Dicitur enim naturale vel illud, qvod ipsam rei naturam aut constituit, aut necessario insequitur, aut ab illâ necessario oritur; vel illud, qvod ex naturâ rationis beneficio cognosci potest Deinde naturale innatum est necessarium *quoad aptitudinem*, licet non semper *quoad aptitudinis actum s operationem*, qvæ aliquando absesse potest. Adeo, qvod naturalia sint necessaria *actu primo*, non vero *secundo* semper. Qvod vero ad minorē attinet, confunditur hic quæstio: *quis s. quid sit Deus, cum quæstione, an sit Deus*. Indi & Brasilienses, ut&alii plures Ethnici ignorant quidē, *quid sit Deus*, non vero ignorant, *an sit Deus*, qvod vel ex hoc unico evidenter colligitur, quia Indi, imprimis *Calicutani* ipsū Diabolū colunt & invocant. Accedit qvod alii solem, alii Lunam aliasq; creaturas ex sibi Deos eligerint. Conf. *Cosmograph*: Münsteri lib. 5. cap. 77. p. 1557.

Qvod

Qvod vero de Philosophis qvibusdam multorum , eorumq; clariſſimorum virorum fide refertur , dicimus , nonnullos qvidem Deum negasse , sed non tam *corde* , qvam *ore* , non tam *conſcientia* , qvæ ſemper reclamabat , qvam *malitia* aliquâ , non tam ignorantia *ſimplici* , qvam *affectata* . Quemadmodum autem videndi facultas ideo naturalis , & ex æquo omnibus communis eſſe non definiſit , qvod nonnulli , ejuratâ ſponte liberalioris frontis coimitate lætiores oculorum honores , in nescio qvod Θεοſitens βλέμμα transforment , & adſcitâ tristis vultus ſeveritudine , nil niſi Catones & Crassos minentur ; Ita nòtitia de Deo innata non ex omnium hominum animis ideo extirpanda eſt , qvod qvidam affectata & ſpontanea qvadam projectione iphis carere potius velint , qvam qvod reverâ careant . Vid . *Magnif Dn. D. Meißnerus loc. cit.*

§. XX. Atq; hæc pro ingenii modulo leviter breviterq; contexere volui . Qvamvis verò haud negem , hæc omnia pluribus adhuc deduci potuisse , ſubſiſtere tamen hic placuit , ut legibus ſatis fiat . Deo æterno & immortali , qvi lucem hanc omnium mentibus inſeruit , ſit honor , laus , & decus ſempiternum .

### F I N I S.

\*\*\*\*\*?\*\*\*\*\*?

O Ctonos memini Septembres , qvum pia cura  
Tui Parentis optimi ,  
Consulis in Patria , mihi Te concredidit ipsum ,  
Ut instar eſſes Filii .  
Spes me frustrari haud cœpit . Mihi vita probata  
Magis probatur indies .  
Non mea Musa canet numeris , qvot in Actibus olim  
Te viderit ſanè impigrum ,  
Seu vorsam ſpectet , ſeu profam ; nec vacat una  
Lingvarum amorem exponere .  
Jam nunc clara Sophum veneraris Lumina noſtra  
Hic propter undas Albidos ,

Nec

Nec minus Eusebien, cui post hac Te dabis omnem,  
In Concionibus sacris  
Quām felix! Quantum summi hoc est munus JOVÆ  
Summis ferendum laudibus!  
Macte piis studiis! Te certa brabéa manebunt,  
Qveis Phœbus ornat tempora.  
Nec MÆCENATUM deerit Tibi gratia. Vivat  
Amthor/ colendus VIR DEI!  
Desino. Primitias ex voto sospitet Aether,  
Ut ampla messis sit super!

Hic BERGNERO suo, Cognato per-  
quam dilecto, Romanum illud FELI-  
CITER ī τῷ παραχεῖμα adclamare  
voluit.

M. Johann Peißner / P. L.  
Cæs. & Lyc. Wittenberg. Rector.


Ultima non audit NUMEN cognoscere Summum,  
Prima sed in studiis cura sit, atq; labor.  
Insuper quantumvis res mentibus ; impia certè  
Nullibi quæstam Gens negitare queat,  
Naturâ BERGNERE, paras ducente probare,  
Theologiam ad sacram sic quoq; sternis iter.

euΦρόνιος subaddidit

M. David Winter / S.W. ConR.

Ardua res fertur Pindi concendere culmen,  
Intrepidoq; animo certamina docta subire;  
Quæ, Bergnere, subis. Verùm duce niteris ipsâ  
Virtute : hæc metnit nullos invicta labores.  
Perge, velut pergis : sic Te præclara manebunt  
Præmia, quæ nullis sunt interitura diebus.

Hæc accineb. L. M. Q.  
PETRUS RUBNER, Cizâ-Miss. S.S. Theol. & Ph. S. 11



Coll. diss. A. 78, misc. 41